

3195

C O D I C E S

3196

In longa ad *Psalterii* calcem Rubrica mentio fit Veniae Noxarum a *Sixto* IV. Pont. Rom. indultae, unde *Codicis* aetas colligitur. Suc-

cedunt pia Exercitia de Doloribus et Gaudiis B. V. *Mariae*, gravisque sub finem admonitio:

*Dyt bock bort Metben vam bolte.
De dat vint de do dat wedder,
Edder de duuel vorbrent em dat ledder.
Hoet Dy!*

DCCCCLVIII.

960 Codex membranaceus gall. Sec. XV. Folior. 43. 4. luculente scriptus, literis initiorum et marginibus auro et coloribus illustratis, tresque exhibens Icones elegantis penicilli, paratus, ut videtur, in usum nobilis cujusdam Puellae, quae in prima Icone Deiparae sedenti fleat genua, variis Precibus piis constat, quae sunt: *Les XV. Joies de nostre Dame, les V. Plaies de nostre seigneur*, et aliae, quarum pars rhythmica.

DCCCCLIX.

305 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 262. f. currente calamo partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque ad *Canonicos Regulares prope Nuffyam* (Novesium, Neus ad Rhenum) pertinens sequentia continet: I. *Callisti III.* Pont. Max. *Bullam* de institutione seu institutione Festi *Transfigurationis Domini*, quae incipit: *Inter Diuine dispositionis Archana* &c. et data est *Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo*, octavo *Idus Augusti Pontificatus Anno Tertio*. Ad quem annum illam etiam refert *Odor. Raynaldus* in *Annal. Eccl. n. 73*.

II. fol. 6. Sequitur: *Traктatus de instinctibus spirituum. M. H. de Hassia*. Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Licet verbum propositum exponatur per christum de semine verbi* &c. Peccat inscriptio; *Traктatus* enim ad *Henr. de Vrimarya* Eremitam Aug. pertinet. Vide *Codd. XC.* et alios in *Indice. Henr. de Hassia de Discretionem Spirituum* scripsit; inde confusio.

III. fol. 13. *Sermones* II. habiti ad Clerum. Prior in illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino*. De mente ad Deum elevanda, hoc initio: *Hec verba sancta mater ecclesia cantat in officio missae die hodierna* &c. Alter in illud: *Dispone domui tuae quia morieris* &c. hoc initio: *Carissimi Fratres ad elicendum ex premissis verbis aliqua* &c. Verum hic integer non est in hoc Cod. Ex alio tamen *Bibliothecae nostrae* integrum edidit *Herm. von der Hardt T. V. Concil. Constant. p. 115.* ubi *Jacobo* Episcopo *Laudensi* tribuitur habitus

tus